

05

A

872









Q. D. B. V.

Sylloge  
Amœnitatum Histo-  
rico - Criticarum ,

*Quam*

*In illustri ad Albim Academia*

PRÆSES

M. GEORGIUS FRIDERICUS  
HEUPELIUS,

ARGENTORATENSIS,

*publico placidoque examini sistit,*

*Ad diem VII. Mensis Aprilis*

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO Crausse /  
BARDENIZIO - ZINNENS.

Philosoph. Studio.



WITTEBERGÆ,

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Anno clō 1c LXXXVIII,



Sylloge

Amoenitatum Histo-

rico - Criticaria



M. GEORG FRIDERICUS

HEUDELBERG

ARGENTORATENSIS

AS A 872

CHRISTIANO FRIDERICO

BARONIS SINEAS

WITTEBACH

Paulo MATTHIAS HERKEL, Acad. Typogr.  
anno d. 1778







B. C. D.

# AMOENITATES HISTORICO- CRITICÆ.

I.



*Matthæus* Evangelista, primus inter omnes Novi Testamenti scriptores est, qui consignavit historiam Evangelicam anno post ascensionem Domini octavo (a). Contra eos, qui Epistolam, quæ Christi nomine extat ad *Abgarum*, pro genuina venditant, quos castigarunt ex Romano Catholicis *Robertus Bellarminus* (β) & *Natalis Alexander*. Theologus Sorbonicus, (γ), Ex Reformatis *Robert. Cocus* (δ), *D. Andreas Rivetus* Crit. S. (ε) & *Job. Henricus Ottius* (ζ), ex nostris *D. Waltherg* (η), cui addere liceat *Cl. M. Gœxium*, Amicū meū (θ), Suffragatur Vir, quem suo merito, inter ornamenta refert respublica literaria, ego autem egregie charum habeo & veneror, *Schurzfleischius* (ι). Contra eos etiam, qui Mariæ Deiparæ, quasdam Epistolas asserunt, quos confutavit *D. Samuel Andrea*, Professor *Marpurgensis* (κ).

A 2

II. De

(a) Id quod cognoscimus ex *Theodoreto*. (β) de *Scriptor. Eccles.* p. m. 27. (γ) *Histor. Eccles. secul. 1. Tom. 1. Dissert. 3.* (δ) *Censura quorundam scriptorum, quæ sub nominibus Sanctorum & veterum auctorum citari solent* p. 3. seq. (ε) *Crit. Sacr. lib. 1. cap. 1. p. m. 97.* (ζ) in *Exam. Annal. Baronii* p. 30. (η) *Officin. bibl.*



reposit. poster. class. 4. thec. poster. arcul. 2. (9) Disput. de scriptis  
Christi anno superiori habita §. 9. (1) colleg. MS. Histor. Eccles. Se-  
cul. 1. cap. 4. §. 30. (x) Disput. Historico-Theolog. de Epistolis B.  
Mariæ Virginis 1682. proposita.

## II.

De Apostolis, quorum catalogum texuit *Lucas* (a),  
quæstio vertit, an sacro baptismatis fonte abluti fuerint,  
ubi sententiarum divortia extant apud autores. Negan-  
tium opinionem amplexus est Archiepiscopus olim Spa-  
latensis, post Reformatus, tandem iterum ad Romano-Ca-  
tholicos reversus, *Marcus Antonius de Dominis* (β), qui  
persvasus erat singulare Apostolorum privilegium fuisse,  
ut non baptizarentur. Sed istam sententiam discussit &  
labefactavit prælaudatus Polyhistor, *Schurzfleischi* (γ), à  
quonam verò Sacramentum baptismi Apostolis collatum  
sit, certo non habeo compertum. Videntur tamen, si  
non omnes, saltem plerique à Johanne baptizati. Quor-  
um vid. Maxime Reverendus *D. Job. Frider. Mayerus* (δ).  
Doctores Romano-Catholici tradunt *Petrum* à *Christo*  
baptizatum, sed nullum evidens afferunt argumentum,  
quod id probent. Quin potius contrarium ex ipsa historia  
sacra colligitur. Vid. denuo *D. Meyer.* (ε)

(a) cap. 6. (β) de republ. Eccles. cit. Dn. D. Meyer. Ec-  
log. Evangel. ad Evang. Domin. IV. Adventus quæst. 2. (γ) l. c.  
cap. 5. §. 11. (δ) l. c. (ε) l. c.

## III.

Extat *Passio S. Andrea* Apostoli sub nomine Presby-  
terorum Achajæ, pro cuius auctoritate & fide magno nisu,  
sed nullo profectu laborarunt *Robertus Bellarminus* (a)  
& *Natalis Alexander* (β). Jam dudum enim hæc falsitatis  
convicta fuit à *Roberto Coco* (γ), *Andrea Riveto*, (δ) &  
B. nostro *Job. Gerbardo* (ε), eamque ipse agnoscit Car-  
dina-



dinalis *Baronius* (ζ), qui pro nimia credulitate sua saepe amat supposititia, & pro veris obtrudit.

(α) *de script. Eccles. p. m. 46.* (β) *l. c. Tom. 1. cap. XI. articul. 8.* (γ) *l. c. p. 102. seq.* (δ) *l. c. lib. 1. cap. 4.* (ε) *Considerat. Phosphori.* (ζ) *Tom. 1. Annal. Ann. 44.*

#### IV.

Prisca loqvendi consuetudine discrimen ejusmodi inter *Confessores* & *Martyres* fuit, ut *Confessores* dicerentur, qui acerba quævis propter Christi sacra perpesi, non desinerent religionem Christianam confiteri; *Martyres* vero, qui morte sua confessionem fidei Christianæ obsignassent, id quod insigne decus Academiae Lipsiensis Cl. *Rechenbergius*, Patronus & Præceptor meus, ob plurima in me merita æternum devenerandus nobis aliquot Patrum testimoniis evidenter probatum dedit (α).

(α) *in Colleg. Historico-Eccles. Superiori æstate habito secul. 2. cap. 5. §. 8.*

#### V.

Pocula in Sacro epulo adhibita, plerumque vitrea fuisse, vero atque invicto antiquitatis documento probatum dedit B. D. *Dorscheus* noster (α). Unde *Marcus* Hæresiarcha æmulatus Ecclesiam Sanctam, utens calice vitreo in sacris suis dolo quodam populum decipiebat ac fascinabat, dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, arte magica mutabatur in rubrum & sanguineum, ut vinum in sanguinem conversum videretur. Quæ de re legi potest *Epiphanius* (β). Aliquibus in locis tamen & lignei usurpantur calices. Quo pertinet dictum illud *Bonifacii* apud *Walafridum Strabonem* (γ): *olim calices ligneos, & aureos sacerdotes, bodie calices aureos, sed ligneos sacerdotes esse.*



( $\alpha$ ) *Pentadec. dissert. 8. qua est de Sacrament. Christi per panem & vinum communiōe* S. 10. ( $\beta$ ) *Panar. heres. 34. Edit. Colon. 1682. Tom. 2. fol. 333.* ( $\gamma$ ) *lib. de rebus Eccles. cap. 34.*

## VI.

Fertur sub nomine S. Epiphani (quem *Elmacinus & alii* ( $\alpha$ ) è *Judaismo ad fidem christianam conversum esse credunt*) *libellus de vita & interitu Prophetarum*, qui mentitur S. Epiphanium, & per pluribus scatet erroribus & nugis. *Dionysius Petavius*, celebris apud Gallos Jesuita pronuntiavit de eo ita ( $\beta$ ): *Librum Epiphani  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\pi\iota\gamma\gamma\alpha\Phi\omicron\nu$  esse, sexcenta mendaciorum nuga persvadent, quibus ille refertus est. Quod observandum est contra Robertum Bellarminum, qui dicit nullam esse dubitationem de hoc libro* ( $\gamma$ ), & alibi ( $\delta$ ) ad eundem provocat ac si genuinum Epiphani opus esset.

( $\alpha$ ) *Testante Cl. Tenzelio, Exercit. Philolog. de Profecibus Judaorum 1682. edit. S. 4.* ( $\beta$ ) *Prefat. ad Tom. 2. opp. Epiphani. Conf. ex Reformatis Andr. Rivetus lib. 3. Crit. S. cap. 30. p. m. 372. 373. Robertus Cocus l. c. p. 241. 242. ex nostris D. Bebelius, cujus memoria sit sancta, Histor. Eccles. secul. 4. Tom. 1. p. 97. celeberrimus Carpzovius disput. de quest. quonam arca foederis pervenerit, p. 20. D. Kortholt. tract. de Canon. Script. S. p. 305. & D. Glasius Philol. S. p. m. 152. ( $\gamma$ ) de script. Eccles. p. 93. ( $\delta$ ) in opere Controvers.*

## VII.

Valde iniquus est *Robertus Bellarminus* ( $\alpha$ ), quum *Martinum Polonum* virum simplicem vocat. Vere enim de eo scribit *Celeberrimus Wagenfeilius* ( $\beta$ ): *Patet ex ipsius chronico & Commentario in Psalmos Davidicos, illum fuisse eruditione pariter ac judicio ultra Genium sui seculi, ita ut aliqui praeclarissimum opus Notitiae imperii, illi acceptum ferre non dubitent, Ubi simul rectè monet*

net



net (γ), quod *Cardinalis* perperam quoque crediderit,  
à *Martino Polono* primum relationem de Johanne Papa  
foemina in literas esse relatam. Ipse *Baronius* fassus  
est (δ), jam occurrere eam apud *Marianum Scotum*.  
Imo ipsi *Anastasio* Ecclesiæ Romanæ bibliothecario com-  
memoratum fuisse, eruditi plerique existimant, quan-  
quam verba, quibus id præstiterat, manus malæ & Pontifi-  
cum gratiam aucupantes ex aliquibus codicibus eraserunt,  
quod etiam aliorum scriptis usuvenisse liquet. (ε) Fue-  
runt sanè quondam in bibliotheca Heidelbergensi duo *A-*  
*nastasi* MSS. codices, in quibus historia de Joh. Pontifice  
legebatur, quod *Claudius Salmasius*, Princeps ingenio-  
rum nostræ ætatis, omniqve eruditionis genere non mi-  
nus ac profapia illustris, elogio doctissimi *Bosii* (ζ), Cl.  
*Bæclero* nostro testatus est, pariterqve elegantem de iis hi-  
storiam narravit, quam laudatus *Bæclerus* in *Commentari-*  
*um suum de rebus seculi post Christum natum IX. & X. re-*  
*tulit.* Non dubitabo verba ejus, quæ & *D. Wagenfeilius*  
transcripsit, adjicere: *Ajebat, (Salmasius) se Heidelbergæ*  
*agente & incomparabili isti bibliothecæ operam dante, fa-*  
*ctum esse, ut Moguntini Anastasium Bibliothecarium edi-*  
*turi duos codices MSS. à serenissimo Electore peterent, ac-*  
*ciperentq. Quibus remisissis adjuncta fuisse aliquot Exem-*  
*pla novæ editionis, in quibus historia Johannis foemina ex*  
*MSS. bona fide expressa erat. Id cum aliqui mirarentur,*  
*apud ceteros ortam suspicionem, dedisse occasionem, ut in*  
*cetera exempla per officinas bibliopolarum inquireretur,*  
*tum fraudem manifestam fuisse, dum omissa deprehende-*  
*bantur in omnibus, quæ paucis inserta diximus. Ea de re*  
*clarissimæ memoria virum, Marquardum Freberum, Epi-*  
*stolam ad amicum exarasse, quam in aliquot bibliothecis*  
*reperiri dicebat Salmasius. Addebat: verba Mariani Sco-*  
*ti*



ti (nam is nunc post deperditam, aut viciatam illam Anastasii scripturam, antiquissimus rei autor) religiose ex Anastasio descripta, id est, ipsissima Anastasii verba fuisse.

(α) De script. p. 249. (β) Exercit. de Romanis Pontificibus ex Germanorum Gente creatis Aldorffii edit. 1683. p. 9. (γ) l. c. p. 7. (δ) Tom. 9. Annal. A. 853. (ε) digna est, ut huc legatur eruditissima accuratissimaque diligentia conscripta dissertatio Maximè Reverendi D. Lœscheri, Praeceptoris mei & Patroni piè sancteque colendi, de latrociniis in scriptores publicos Martisburgi edit. (ζ) Exercit. Philolog. ad II. Timoth. II. 22. cap. 1. S. 1. p. 1.

### VIII.

Multi in Papatu novi, ridiculi & vani ritus in Ecclesiis introducti, & recepti fuerunt. Talis est consuetudo, quæ in Dominica Palmarum ligneum asinum cum simulaco imposito per urbem trahunt, frondes ad asini pedes projiciunt, quas postea velut sanctas domum reportant; coram eodē genua flectunt &c. Quem ritum prolixo carmine descripsit Thomas Noageorgus (α), ubi satis apposite addit:

*Si quis & hos asinas patet, non erraverit ipse.*

Nihilo rectioris exempli fuit, quando olim in multis regionibus mulieres secunda die Paschatis verberabant maritos suos, die vero tertia mariti uxores (β).

(α) cit. D. Joachim. Hildebrand. Exercit. de ritibus sacris Ann. 1655. edit. S. 42. (β) cujus testimonium perhibet Gvilielmus Durandus, (Speculator dictus, ut ab aliis ejusdem nominis, à S. Portiano cum primis, distingveretur) subjungitque fieri id ad notandum, quod debeant se invicem corrigere, ne alter ab altero exigat debitum tori, lib. VI. rationalis divin. officiorum cap. 86. pag. 372. facie b. edit. Lugdun. 1584. in 8.

### IX.

Circumfertur sub nomine Bertrami, quem rectiùs Rattrammum vocari putat D. Gvilielmus Cave (α), opus-



*culum de corpore & sanguine Domini* Latina lingua conscri-  
ptum, de quo diversissima extant Criticorum judicia. Re-  
formati communiter vindicant *Bertramo*. Vid. *Rivetum*  
(β), *Cocum* (γ), *D. Cave* (δ), *Paul. Colomesium* (ε) &  
alios. Nonnulli ex Doctoribus Romano-Catholicis as-  
signant eum quidem *Bertramo*, haud intrepidè tamen hæ-  
reseos arguunt & insimulant. Alii non solum librum il-  
lum ad orcum damnant, (ζ), sed etiam supposititium  
censent. Qui denuo in varias scinduntur partes, & in  
determinando vero ejus autore nequeunt convenire. *Si-  
xtus Senensis* tribuit *Job. Oecolampadio*, Germanicè  
*Hauffschlein*. *Petrus de Marca*, quem autorem operis (Ca-  
talogo librorum prohibitorum Romæ inserti) de *Con-  
cordia Sacerdotii & Imperii*, seu de libertate Ecclesie Gal-  
licane constituit, plurimum Reverendus idemque πολυ-  
μαθὴς ατθ. *D. Job. Diecmannus* (η), quamvis, ut ipse anno-  
tat (θ), autoribus *Ephemeridum* placeat autor Doctis-  
simus *Stephanus Baluzius*) contendit (ι) ἀ συγχρόνω *Ber-  
trami*, *Johanne Erigena Scoto*, quem nonnulli pudenda  
inscitia cum *Johanne Dunsio Scoto*, Doctore cognomento  
*subtili*, qui diu post floruit, confundunt (κ), confectum  
fuisse. Autorem habuisse *Berengarium*, ejusque sectato-  
res opinatus est *Pater Parisiensis*, Canonicus Regul. S. Au-  
gustini (λ), *Jacobus Boileau* Socius Sorbonicus præter  
alios ejusdem religionis Doctores, genuinum *Ratramni*  
foetum suæque religionis doctrinæ non adversum esse, per-  
suasissimus fuit (μ). Nos de libelli ejus dogmatibus aliis  
judicium relinquimus. Quod vero ad autorem attinet,  
non dubitamus eum asserere *Bertramo*, moti cum primis  
codicum MSS. testimonio & consensu. Conf. *Colomes.* (ν)  
cui adde *Eruditos Lipsienses* (ξ) & nostrum *Dn. D. Læ-  
scherum* (ο).

B

(α) l. c.



(a) chartoph E. cl. p. m. 183. (b) l. c. p. 419. 420. (γ) l. c. pref. (δ) l. c. (e) Paralipomen. ad Cave chartophyl. Eccles. p. m. 18. 19. (ζ) vid. Act. Erudit. Lipsiens. Ann. 1687. edit. p. 44. (η) Dissertat. 1. de vocis Papa etatibus S. 8. (θ) l. c. S. 15. (ι) testant. Actis Erudit. Lips. l. c. p. 45. (κ) vid. Cl. Thomasi Schediasm. Histor. de Philosophia Gentili, Gnosticorum heresi & Theologia Mystica p. 60. (λ) Quomodo refertur in actis Erudit. Lips. l. c. (μ) vid. denno Act. l. c. (ν) l. c. (ξ) l. c. (ο) l. c. S. 34.

## X.

*Petrum Galatinum* arcana veritatis Catholicae, è scriniis alienis compilasse, eruditi uno omnes ore fatentur. Sunt, qui surripuisse affirmant, è *Raymundi Martini* pugione fidei adversus Mauros & Judæos (a), quam superiori anno, cum observationibus *Josephi Voisinii*, & introductione sua in Theologiam Judaicam edidit Lipsiæ Venerandus D. *Job. Benedictus Carpozovius*, Præceptor meus observandus. Sed rectius meo judicio sentiunt *Job. Morinus* (β), D. *Gvilielm. Cave* (γ), *Christophorus Arnoldus*, ornamentum quondam Norimbergæ (δ), qui suffuratum esse censent è *Porchetto Salvatico*, eo, quod quæ ipse habet, omnia fere eodem modo apud *Porchetum* reperiantur. *Porchetus* quidem complura ex *Raymundo Martini* exscripsit, at mutuum grato animo agnoscit.

(a) ita nominatim sentiunt *Gaspar Scioppius* apud Cl. M. *Hæner. disput. de ritu Benedictionis Sacerdotalis cap. 2. S. 24.* & *Casimirus Oudin. supplement. de scriptor. vel scriptis Ecclesiast. à Bellarmino omisfis Parisiis 1686. edit. pag. 549.* (β) *Exercit. Bibl.* (γ) l. c. p. 391. (δ) in *addit. ad Wagenseili Sot. pag. 1161.*

## XI.

Auditu jucundum & memoratu non indignum est,  
quod



quod illustrissimus *Josephus Scaliger* (α) *Puteanis* fratribus narrare solebat *de locis communibus Philippi Melanchthonis*, quos affirmabat, impressos fuisse Venetiis cum hoc titulo: *Per Dominum Philippum à Terra Nigra*, atq; eū librum Romam missum per annum integrum emptum, lectumq; fuisse cum magno applausu, ita ut jam nulla exemplaria prostant; sed alia Venetiis peterentur. Tandem cum Franciscanus quidam agnovisset librum, & dixisset, se tenere eosdem locos, qui sint scriptoris Lutherani, & autorem habeant *Philippum Melanchthonem*, tum vero parum abfuisse, quin gravi censura vexaretur typographus. Exemplaria autem esse suppressa & combusta. Aliquid fere simile apud nos contigit Germanicæ *Lutheri* Novi Testamenti interpretationi.

(α) id quod refert ex excerptis, quæ Scaligeri nomen præferunt, grande illud Musarum decus, D. J. h. Christophorus Wagenfeilius, cujus benevolam in me animum quoad *Altdorffii* vixi, gratisimo hic celebri animo pag. 18. *Tel. Ign. Satanae*. (β) Quem admodum prælaudatus Wagenfeilius in addend. ad *Tela Ignea Satanae* annotavit.

## XII.

Alienum ab *Henrico Cornelio Agrippa* elogium est, quò appellatur *Lutheri* sectator, quem tamen in libro de vanitate scientiarum acriter perstrinxit (α). Contra *Sixtum Senensem*. (β).

(α) Cap. 6. verba si quis desideret, hæc sunt: Qui sunt duces Germanicarum hæresum, quæ ab uno *Luthero* suscepto exordio hodiè tam multæ sunt, ut fere singulæ civitates suam peculiarem habeant hæresim? Nonne autores illarum homines discretissimi, linguæ eloquentia & calami elegantia instructi? & quos ante annos aliquot à linguarum peritiâ, à sermonis ornatu, à di-



eendi scribendiqve promptitudine sic laudatos vidimus, ut nihil illorum laudibus potuisset adjici, hodiè videmus capita & principes hæreticorum. (C) *Biblioth. S. Lib. V.*

### XIII.

11  
*Isaacus Casaubonus*, sacrarum antiquitatum instaurator & promus condus, de *Francisci Toleti Commentariis in Evangelium Johannis* ita commemoravit (a): *Memini cum ante viginti & quod excurrit, annos Toleti in Evangelium Johannis Commentarii ad Theodori Beza manus pervenissent, qui tum forte eundem divinum Evangelistam in publicis lectionibus exponebat, virum illum, ut erat doctissimus pariter, & doctorum candidissimus aestimator, impense Toleti illud opus, mihi in privato colloquio laudasse, & merito. Nam in ejus scriptis, quæ legi, cum excellentè rerum Philosophicarum, & Theologicarum notitia par certat modestia, quæ judicio meo, tum in alio quovis scriptore, tum in Theologo potissimum, laus est præcipua.* Memoratum quoque dignum est, quod subdit de illius *instructione seu Summa Casuum* (β): *se animadvertisse non sine gravi causa dubitare viros graves, sintne omnia genuina, quæ hodie ibi leguntur. In Maldonati etiam scriptis, quæ postquam ipse diem clausit supremum, sunt edita nonnulla autoritate quadam censoria fuisse mutata & temporis præsentis opinionibus accommodata se audivisse, qui affirmarent, viros fide dignos testatur.* (γ).

(a) *Epist. 624. ad Frontonem Ducaum p. 725.* (β) *l. c. p. 726. 727.* (γ) *727. l. c.*

### XIV.

*Johannes Magirus* vir cætera eruditus, dignissimus est



est, qui ad librum Cl. *Thomasi* de plagio literario editum referatur. Quippe totum *Golii commentarium super Aristotelis Ethicam* publice per aliquot annos Argentorati prælectum, ne apice quidem addito, sub suo nomine evulgari curavit, & virum optimum, deque Gymnasio Argentoratensi præclare meritum debito honore privavit, quod jam ante viginti quatuor annos monuit Cl. *Job. Christoph. Eckenberger* (a). *Αυτογραφον Golii*, ne quis dubitet, adhuc apud Nepotes ostenditur.

(a) *Disput. sub presid. B. nostri Schalleri Argentorati 1664. habit.*

### XV.

Qui Sanctum *Marcum* lingua Latina Evangelium conscripisse statuunt, adferunt ad stabiliendam suam sententiam, etiam autoritatem & testimonium *Damasi* (a). Sed nihil eo argumento contra nos proficiunt. Nam (1), *Pontificale*, quod *Damasi* nomen præfert, non est ejus opus, quod ex ipsis Romano-Catholicis inter alios agnoscit, & ingenue confitetur *Robertus Bellarminus* (β), *Cesar Baronius* (γ) & *Natalis Alexander*. Conf. *B. D. Bebelium* nostrum (δ) & *B. D. Dorscheum* (ε). (2) *Damaso*, vel quisquis autor est libri, opponimus *Hieronimum* & *Augustinum* (ζ) qui disertè *Marcum* sermone Græco ab initio, scripisse testantur.

(a) *in Pontif.* (β) *libr. de script. Eccles. pag. 92.* (γ) *Tom. 1. Annal. Ann. chr. 69.* (δ) *Histor. Eccles. secul. 4. Tom. 1. p. 84.* (ε) *de Tunica Christi inconsutili cap. 2.* (ζ) *allegatos à Bellarmin. lib. citat. p. 33, 34.*

### XVI.

Magni passim æstimatur *Roberti Bellarmini libellus de Scriptoribus Ecclesiasticis* veleo solum nomine, quod in illo complura *Scriptorum Ecclesiasticorum* mo-



numenta, quæ in opere controversiarum contra nos addu-  
xit, agnoscat, atque ostendat, aut esse dubia, aut supposi-  
ticia, prout collatione instituta permultis exemplis osten-  
dit magnum quondam Ecclesiæ lumen & fulcimentum,  
D. Job. Georg. Dorscheus (α). D. Georgius Calixtus vo-  
cat librum omnium, quos Bellarminus edidit, optimum  
(β). Andreas du Saussay, Parisiensis, de eo ita scribit (γ):  
Ceterum si quis unquam post Sanctum Hieronymum me-  
ruit catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum adscribi, fuit  
ipse Bellarminus, qui tam docte & prudenter illorum se-  
riem contexit; tulitq; de eorum scriptis, & ipsis scriptori-  
bus rectum iudicium: ut hoc ejus opus, mole quidem te-  
nue, instar operum ejus omnium censi possit: siquidem  
fuit quasi palmare opus ejus; nullumque edidit pondere  
gravius, sensu uberius, verbis succinctis & concisis lucu-  
lentius & accuratius. Quibus adde, quæ in encomium  
ejus habet Philippus Labbe Jesuita Parisinus (δ), quem Cl.  
Hemming. Witte (ε) hominem appellat, plurimæ utique  
lectionis & industriæ, ac merito laudandum, nisi in vi-  
ros suæ religioni non addictos, eosque graves pietate &  
doctrina, effusè nimis debacchatus esset. Non pauca ta-  
men in isto libro desiderantur, cum primis vero hoc, quod  
multos nobiles scriptores, jam tum, cum hunc librum  
recenseret, editos omittat, quoniam ab Evangelicis pu-  
blicati fuerant. Conf. Cl. Bosius Polyhistor Jenensis (ζ).

(α) in Antikirober. pag. 83. seqq. (β) Ceu indicavi jam in dis-  
sert. de Joh. Taulero §. 5. (γ) Continuat. Bellarmini de scriptor.  
Eccles. (δ) Præfat. Dissert. de Scriptor. Eccles. (ε) præfat. in decad.  
1. Memor. Theologorum nostri seculi clarissimorum renovat. (ζ) in-  
troduct. in notit. Scriptor. Eccles. cap. 2.

## XVII.

Habetur sub nomine Summi Theologi, D. Dorschei  
libellus de *Satanae obsessione* editus, quem B. Viro esse sup-  
po-



positum non immerito suspicatur Cl. *Rudolphus Grischaw.* (a)

(a) in *disput. MDCXXCV. Argentorati sub presidio celeberrimi Bebelii habita atq; defensa de Davide peccante & pœnitente* §. 2. pag. 7.

### XVIII.

Edidit sub nomine D. *Job. Baltasaris Schuppil Vulpius* Gießæ typographus opusculum de *Pennalismo* & volumini orationum inseruit; sed ipse *Schuppil* (a) palam reclamavit & obtestatus est, illud à se non esse confectum, nec pro suo agnovit, ratus autorem ejus esse, vel celeberrimum Theologum. *J. H. vel Augustum Buchnerum.*

(a) im *Unterricht. student.* p. 394.

XIX. Colophonis loco ex *Historia Passionis Salvatoris* nostri placet breviter strictimq; attingere nobilem illam controversiam, quodnam *latus Christi lancea sit perfossus*, dextrumne an vero sinistrum. Textus authenticus *Scripturæ* S. (a) nihil definit. Quapropter etiam nostrates hic non conveniunt. Sunt qui pro dextero latere pugnant. Nec desunt qui pro sinistro dimicant. Mihi valde placent, quæ clarissimus Jenensis Professor Dn. *Caspar Posnerus* (b) ea de re habet, cujus verba, quoniam merentur, non verebor adscribere. *Dubium & incertum utrumque est, meliusq; facit, qui suspendit suum judicium & dicit non liquere, quam qui sine probatione alteri parti credit.* Caterum qui plura hac de questione legere cupit, evolvat Amplissimi D. *Casp. Sagittarii* *Historiam Passionis Jesu Christi* (c), Piissimi *Mülleri* *Jesum Patientem* (d) & Doctissimi *Heneri* *Miscellanea Philologico-critica.*

(a) *Johann. 19. 34* (b) *disput. Physica de admirandis, quæ morte Christi in natura acciderunt* § XXXII. (c) p. 1070. seqq.

(d) pag. 223. seq. (e) statim à principio.

Histo-



**H**istorice, Lumen Sapientis, & omnia rectâ  
Dexteritate, mera simplicitate refert.

Noscere res gestas cumulatae Gloria laudis

Prudentesq; Viros has bene nosse facit.

PRÆSIDE sub CLARO cupis hæc, DOCTIS-  
SIME CRAUSI,

Tradere : Conatus hos beet ipse DEUS!

JOHANNES Deutschmann/D.

---

**E**Xere TE CRAUSI, nec lites differ a-  
mænas :

Namqve Tuum redamant pulpita do-  
cta caput.

L. Mq; dedit

M. JO. GEORG. Neumann/

Fac. Phil. Adj.

---

**P**rofectus aliquod specimen proponis, Amice,  
Gratulor hos ausus. Rem præstas laude  
decora

Dignam, Te pariterqve probas Patriæ atqve  
Patronis.

In honorem Pereximii DN. Respondentis  
Imq; adposuit

PRÆSES.

BS(O)S



05 A 872

ULB Halle 3  
003 761 088




1014











B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

# Sylloge Amœnitatum Histo- rico - Criticarum,

*Quam*

*In illustri ad Albim Academia*

PRÆSES

M. GEORGIUS FRIDERICUS  
HEUPELIUS,

ARGENTORATENSIS,


*publico placidoque examini sistit,*

*Ad diem VII. Mensis Aprilis*

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO Crausse /  
BARDENIZIO-ZINNENS.

Philosoph. Studiose.



WITTEBERGÆ,

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Anno clō 1oc LXXXVIII,